

Verum hic attendendum, ne ordinem pervertas, et Deo reddas quæ sunt proximi; vel proximo aut tibi quæ sunt Dei. Tyrri et Sidonii divinum honorem impertiebant regi Herodi, cum peroranti acclamabant: *Dei voces et non hominis*, (Act. XII.) gravissimo errore. E contra si quæ proximo debes, Deo dare velis, v. g. per eleemosynam liberare te a restitutione certorum bonorum, quorum domini supersunt, nihilominus errabis. Rursum si quæ Dei sunt, tibi velis tribuere, v. g. dies festos laboribus transigere, ut rem tuam augeas; iterum delinques: redde: *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo*.

Superest nunc ut fructum e magistri nostri concione referamus. Phariseorum sane discipuli non alium retulere, nisi hunc, quem subdit Matthæus: *Audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt*. Non est hoc honorum discipulorum, ut magistrum tantum mirentur, et eo relicto abeant; sed ut imitentur et lectionem sibi ab eo præscriptam domi ruminent et discant. Hoc ergo et nos faciamus, Christoque Domino nostro ita adhæreamus, ut omnia potius relinquere quam ipsum parati simus.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Quare Pharisei voluerunt Christum capere in sermone? — II. Quomodo voluerunt eum capere? — III. Per quos interrogant Christum Pharisei? — IV. Cur increpat eos Christus? — V. Cur petit sibi ostendi numisma census, interrogans: Cujus est hæc imago? — VI. Quod numisma census et cur Cæsari datum? — VII. Qualis Christi responsio?

THEMA.

Abeuntes Pharisei consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone. Matth. XXII.

Servator noster, auditores, unicorni comparatur Psalmo XXVIII. *Dilectus quemadmodum filius unicornium*. Fertur autem unicornis tantæ esse fortitudinis, ut nulla vi nullisque venatorum insidiis capi queat; mansuetudine et amore queat. Virgo enim puella proponitur, quæ venienti sinum aperiat; tam is feritate posita ad gremium virginis ultro accurrere et caput in eo deponere scribitur a S. Isidoro episc. Hispanensi, l. XII. etymol. c. II. et D. Greg. papa, l. XXXI. moral. c. XIII. Non capitur ergo a venatoribus, qui insidiis et venabulis ipsum agrediuntur, capitur a virgine, quæ sinum ami-

ciæ illi expandit. Hujusmodi igitur unicornis dilectus et speciosus est Salvator noster, qui nullis insidiarum dolis, nullis armatorum telis decipi aut capi potest; mansuetudine et amore potest. In hod. evang. tetenderunt illi insidias Pharisei et Herodiani, concinnarunt rete pessimi consilii: *Ut caperent eum in sermone*, sed non ceperunt eum: capti potius sunt et præacuto sapientiæ divinæ cornu ab ipso vulnerati, ita ut mirarentur, eoque relicto abirent, quod testatur S. Matth. E contra vero, auditores, si capere hunc unicornem volumus, facile veterimus, et quidem in sermone: sed non eo modo, quo usi Pharisei. In sermone inquam, si verbo ejus divino sinum nostrum aperiamus, adeoque cum amore et spirituali aviditate verbum ejus excipiamus; ita ut ejus suavitate pascamus animos nostros. Tunc enim absque dubio ultro ad nos accurret, magnaque cum dulcedine nobiscum commorabitur, nec minore nostro fructu. Ergo, expandamus sinum, præparemus animum ad capiendum hunc unicornem: et quia historia hodierna venatio quædam est, in qua Pharisei Christum capere querebant, spectemus venationem.

I. Quare Pharisei voluerunt Christum capere in sermone? Resp. quia cum aliis modis capere eum non possent, sperabant laqueo sermonis se haud dubie capturum, quandoquidem omnium difficillimum est, lingua non offendere, teste D. Jacobo, c. III. dicente: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, q. d. hic in aliis non offendet, nec cadet, qui in hac glacie ambulare sine lapsu potest, ubi labi maxime proclive est. Idem testatur Eccles. c. XIX. *Quis est qui non deliquerit in lingua sua?* Ratio est, quia lingua membrum admodum volubile est, et, ut ait S. Jacob: *Inquietum malum*, undique discurrit, omnia pervagatur, ideo crebro offendit, quemadmodum is, qui plateas omnes percurrit, crebrius impingit, quam qui domi se continet. Unde Sapiens, Prov. X. ait: *In multiloquio non deerit peccatum. Lingua facilitatem habet motus*, inquit S. August. serm. XXXI. de verb. apostoli, *in udo posita est, facile in lubrico labitur*. Vanè ergo et stulte gloriatur, qui se jactat nullum unquam protulisse verbum, quod revocare vellet, teste S. August. ep. VII. ad Marcellinum: «*Quamvis ait, Tullius (ut scribitur) nullum verbum unquam emisit, quod revocare vellet; hæc tamen laus credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto.*» Propterea igitur Ecclesiast. c. LI. linguam injustam vocat *laqueum*; quia non modo alios, verum etiam proprium subjectum multoties decipit et illaqueat.

Quare uti venatores feras, quas canibus solis comprehendere non possunt, laqueis circumdant, quasi infallibiliter capiendas: ita Pharisei Christum, quem suis obtreccationibus et cavillis capere non poterant, laqueo proprii sermonis deprehendere sperabant. Unde quod Latinus noster interpres vertit: *Ut caperent eum in sermone*, Græcus sic legit: *Ut illaquearent eum ipso sermone tamquam laqueo*. Quando ergo lingua tam periculosa Charybdis est, ut sperarent isti vel ipsum Christum in ea naufragium facturum: quis sibi non magnopere timeat caveatque offendere in sermone? Quis non crebro: *Pone Domine custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis: non declines cor meum in verba malitiæ?* Psal. CXL.

II. Quomodo voluerunt eum capere? Resp. proposita quæstione, num liceret tributum dare Cæsari. Erat enim Judæorum populus Dei populus, quamobrem fas non esse videbatur, ut Romanorum imperatori ethnico, qui armis et vi subegerat Judæos, tributum penderet, servitutumque profiteretur. Etenim Pompeius capto templo Judæos primo, Romanis stipendiarios fecerat, teste Josepho, l. XIV. c. VIII. Quam subjectionem inique tulit Judas quidam Galilæus, qui propterea sectam excitavit asserentem, neminem in terris dominum vel principem habendum, nisi solum Deum, eodem Josepho testante, l. XVIII. c. II. Conabantur ergo Judæi Christum in hanc trahere sententiam, ut Cæsari tributum negaret, atque ita in Cæsarem delinqueret, ejusque præsidii multandus traderetur. Hunc in finem præmittunt adulationem: *Magister, scimus quia verax es, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum*, q. d. tu non curas Cæsarem vel Cæsarianos, quin eis veritatem dicas. Quid igitur? Licetne tributum reddere nos Cæsari? Ecce rete expansum. Ais non reddendum? Cæsaris iram incurris. Ais vero reddendum? Populi favorem perdes, et libertati Israeliticæ derogabis. In priori casu accusabimus te apud præsidem Cæsaris; in posteriori apud populum. Quam bene de his prophetavit Oseas, c. V. (sensu alleg.) secundum Cyrillum, dicens: *Attendite domus Israel et domus regis auscultate*, (per illam Phariseorum ministros, per hanc Herodianos intellige,) *quia vobis judicium est: quia laqueus facti estis speculationi* (id est, speculatori, ut Syrus vertit, Christo videlicet, qui est episcopus et speculator omnium) *et rete expansum super montem Thabor*, q. d. quomodo aucupes in fruticoso monte Thabor insidiantur avibus. Sed bene subjungit Syrus (qui sequentia verba sic vertit): *Et venatores qui venantur, operue-*

runt laquei, q. d. capti sunt laqueis suis, quos alteri tetenderunt.

III. Per quos interrogant Pharisei Christum? Resp. per discipulos suos et Herodianos. Hi fuerunt canes venatici in hac venatione. Herodiani autem secundum D. Epiphanium, hæc. XX. Tertull. l. de præscript. cap. XLV. Victorem Antioch. Marci XII. D. Hieron. in dial. adversus Luciferianos (quamvis Matth. XXII. aliter sentiens ridiculam vocet hanc sententiam) et alios, valde probabiliter fuerunt quidam ex Judæis quasi hæretici, qui Herodem primum, infanticidam illum, pro Messia habuerunt, persuasi prophetia Jacob, Gen. XLIX. *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est*, siquidem ipse primus fuit Hebræorum rex, non Hebræus, adeoque in ejus prædecessore ablatum est a Juda sceptrum. Secundum alios fuerunt aliqui nobiles de domo Herodis Antipæ, qui illisit Christum et illis diebus, paschati proximus, erat Jerosolymis. Favet his evangelium Syriacum, quod eos nominat *domesticos Herodis*. Miserunt ergo Pharisei discipulos suos velut catellos, qui Christum ad sermonem provocarent: Herodianos velut molossos, qui sermonis testes et apud Herodem accusatores essent Christi, quasi Cæsari infesti. Non venerunt ipsi: primo, ne dolum ut ipsi putabant, Christus adverteret; norant enim se Christo suspectos; miserunt ergo discipulos suos et Herodis aulicos, homines communiter ad mores aliorum explorandos, ac diducandos, idoneos et compositos: malorum corporum mala ova; quo modo dæmon tentaturus Evam serpente interprete usus est: in sua specie si apparuisset, minime auditus fuisset.

Secundo, quia isti internuntii justos se simulare debebant, ut scribit S. Lucas, Christique amicos ac dilaudatores, ut sibi ab ejus commendatione benevolentiam conciliarent dicendo: *Magister, scimus quia verax es, etc.* quod Pharisei ipsi facere nec poterant sine manifesto doli argumento, nec volebant ob inviliam: sciebant frustra jaci rete ante oculos pennatorum. Quare ut oculis Christi fucum faciant, alios ignotos mittunt induuntque veste venatoria, feris non suspecta sed amica, ficta inquam adulatione et specie amicitia. Biogenes ille Aristippum philosophum vocabat regium canem, quod Dionysio Siciliae tyranno canis instar adularetur. Hujusmodi canes erant internuntii isti.

IV. Cur increpat eos Christus: *Quid me tentatis hypocrita?* Resp. primo: *Ne Domino astute sese imposuisse gloriari queant*, inquit Victor Antioch. Marci XII. Sperabant hi gigantuli magnum de

Christo supplantando, et quasi de cœlo expugnando triumphum et gloriam; ergo ut hac spe eos deludat ac risui contemptuique, sicut merebantur exponat, acriter objurgat: *Quid me tentatis hypocritæ?* Ad instar nimirum generosi leonis, qui uno pede canes sibi infestos proterit et vulnere inflicto lamentabundos repellit. Hoc est, quod docuit Sap. Prov. XXVI. *Responde stulto juxta stultitiam suam* (q. d. contempto homini contemptim responde), *ne sibi sapiens esse videatur.* Nasutos se reputabant discipuli et aulici illi; et quantum triumphassent, si Christum in sermone cepissent? Sed responsionem se dignam acceperunt, qua omnis eorum sapientia devorata est. Jucundum est, quod S. Wolstanus episcopus obtreptatori cuidam interroganti, cur ipse ovinam pellem gestaret et non potius felinam, respondit: *Quia, inquit, non dicimus: Catus Dei, sed agnus Dei: ideo agno volo calofieri,* apud Surium, 19. Jan. Solet Deus superbiam velut stultum et vile peccatum confusione plectere; ita præsumptionem illorum, qui turrim Babel usque ad cœlum erigere moliebantur linguarum confusioneplexit, ut se mutuo non intelligerent, adeoque omnium fabula et ludibrium fierent, Gen. XI. insanam Amanis superbiam qua ab omnibus adorari, et Judæos uno holo omnes devorare voluit, suspensio punivit, Esth. VII. superbiam Pharaonis, non grandium immissione belluarum, leonum, ursorum, pardorum, sed per ranas, cyniphes et muscas depressit, Exod. VIII. ut hinc confusi et eruditi discerent se nihil esse, qui tam vilibus tamque facili negotio edomari possint.

Secundo: *Quo Christum Dominum intima cordis illorum sensa explorata habuisse, certo hinc cognoscant,* ait idem Victor Antioch. loco citato. Idcirco larvam eis detrahit vocando eos hypocritas, qui sub specie justitiæ et amicitiae decepturi eum venerant, adeoque cum vulpina fraude foris oves, intus lupi, q. d. quare alios vos simulatis? Novi quinam sitis, et quid in corde geratis, uno verbo, hypocritæ estis. Ita Abias propheta uxorem Jeroboami regis mutato habitu, specie rusticanae mulieris, ad se venientem statim agnovit ac prodidit dicens: *Ingredere uxor Jeroboam, quare aliam te simulas?* III. Reg. XIV. Non latent ergo Deum etiam hypocritæ, qui se alios mentiuntur: quemadmodum nec isti. Et vero dum nihil ad hoc verbum respondent, tacite fatentur se reos esse; idque testatur S. Marcus scribens: *Qui sciens versutiam illorum, etc.*

Tertio, ut doceat adulatores acriter increpandos et repellendos esse velut canes morsum intentantes. Omnium enim perniciosissime mordent, qui clanculum et specie amici mordent, quasi osculum impressuri

Quarto, ut ne falso Dominum commendasse videantur. Dicebant enim: *Non respicis personam hominum, nec est tibi cura de aliquo.* Ergo ut hoc in ipsismet comprobetur, suis eos coloribus depingit, appellandos eo hypocritas, quales revera erant. Tradit Plutarchus Brasidam ducem educto e corpore telo, eodem confodisse eum qui miserat. Idem fecit hic Dominus; telum enim illud: (*Non respicis personam hominum, etc.*) quo ipsum impetiverant, assumit, eoque ipsos jaculatores configit.

V. Cur petit ostendi sibi numisma census interrogans: *Cujus est hæc imago et superscriptio?* Resp. primo, non ex ignorantia, sed ut ex eorum ore convincere eos queat. Non est enim efficacius argumentum ad hominem, quam id quod ex ipsiusmet ore desumitur; cujusmodi est illud, quo vinitores illi seipsos condemnarunt dicentes: *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis,* Matth. XXI. et illud servi pigri, qui abscondit talentum suum, quod sciret Dominum suum esse hominem durum, metere ubi non seminavit: *audivit enim respondentem Dominum: Seræ nequam, ex ore tuo te judico, etc.* Matth. XXV.

Secundo, ut doceamur non præcipitare sententiam, sed omnia prius mature considerare et partes ipsas audire earumque dicta bene examinare, ac si fieri potest, decisionis æquitatem ad oculum eis demonstrare, ne cui injuria fiat, aut occasio detur calumniandi magistratum. Propterea apud Hebræos olim judicia publico in loco ad portas urbium exercebantur, ut patet Deut. XXI. et XXII. Job XXXI. Prov. XXXVII. fiuntque adhuc apud Italos in publico auditorio, ut in omnium præsentia causæ ventilentur, ne quid indiscussum maneat, aut in alicujus gratiam contra legis præscripta decidatur.

VI. Quod numisma census et unde Cæsari datum? Resp. Deum, Exod. XXX. præcepisse, ut quoties ineundus esset numerus populi Israelitici publicam ob causam, toties singuli pro animabus suis penderent templo dimidium siclum, qui continet didrachma seu duas drachmas sive denarios, monetæ nostræ imperialis viginti cruciferos. Idque ob plures causas, quarum prima est, ut scirent Judæi multiplicationem populi sui ex Dei promissione ortam, Deumque singularem curam illius populi gerere, quem quasi in numero vellet habere. Secunda, ut doceret neminem sui capitis suæque vitæ esse dominum, sed omnes unum habere dominum, scilicet Deum, inquit S. Cyrillus, l. II. in Joan. c. XCII. Tertia, ut per hoc temporale tributum significaretur spirituale illud legis novæ, quod omnes recensiti, id est, Christiani pendere Deo debent, adorando eum

in spiritu et veritate. Ita idem Cyrillus. Quarta, ut moneremur tam in nova quam in veteri lege obligari nos ad servandum decalogum, quem significat denarius in duplo pendi solitus; ut ita mereamur in vespere hujus vitæ accipere denarium illum diurnum, operariis decretum, gloriam videlicet. Porro census iste templo pendebatur a Judæis usque ad tempora Aristobuli et Hyrcani, qui fuerunt ultimi duo principes Hebræorum de stirpe Macchabæorum iique fratres, quibus inter se dissidentibus et de principatu litigantibus, Pompeius urbem occupavit, eamque Romanis tributariam fecit, teste Josepho, l. XIV. antiq. c. VIII. Ita census ille prius templo Jerusalemitano numeratus, Romanis pendi cepit: quod idem pensum Romano Capitolio solvendum denuo statuit Vespasianus imperator devictis Judæis, ut idem Josephus scribit, l. VII. de bello, c. XXVII.

Mirandum hic, quod Deus imprimis tam exiguum tributum, medium scilicet siclum, eumque raro solvendum templo depoposcerit, deinde quod Rom. imperatores censum hunc sibi postea solvendum non auxerint. A quibus sane discere possunt principes christiani, ne immodicis tributis exhauriant. Attendant ad Constantem imp. qui dicebat, opes publicas melius a privatis pluribus haberi, quam intra unum principis claustrum reservari, teste Eutropio: audiant Trajanum imp. qui fiscum vocat *lienem*, quod eo crescente reliqui artus omnes tabescerent: Fabricium item Romanum, qui dicebat legato Epirotarum Cineæ magni auri copiam offerenti, malle se aurum habentibus imperare, quam aurum habere.

VII. Qualis tandem responsio Christi: affirmativa an negativa? Resp. primo, affirmativam esse, ita ut liceat dare tributum Cæsari; siquidem moneta exhibita Cæsaris imaginem adeoque dominatum etiam in Judæos ostenderet. Dices: Ergo habent Pharisei quod quærebant, nimirum ut vel in favorem Hebræorum Christus

tributum negaret, vel in favorem Cæsaris dandum assereret: jam autem in favorem Cæsaris pronuntiat. Resp. Phariseos alterum potius imo solum optasse, ut in favorem populi contra Cæsarem decideret, non esse dandum tributum (ut nimirum: *Traderent eum principatui et potestati præsidis,* ait Lucas) quod non sunt assecuti.

Resp. secundo, sententiam illam affirmantem tam sapienter esse propositam, ut non posset facile reprehendi etiam a Judæis. Nam, imprimis manet in statu quæstionis propositæ, num liceret solvere. Respondit enim licere, non respondit deberi; quia hoc non petebatur. Deinde: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,* inquit. Quis hoc iniquum pronuntiet? Nummus ex Judæorum sententia Cæsaris imaginem et nomen continebat; unde saltem ex hoc præjudicio Cæsari dandus videbatur. Denique, adjunxit etiam: *Reddite quæ sunt Dei Deo.* Primo: « Ne quam Judæis cavillandi ansam relinqueret, » inquit Victor Antioch. loc. cit. « Nam si hoc fecisset dicere poterant, Cæsari eum adulari voluisse. Siquidem abjecta quædam res vilisque servitus videtur, hominem homini obstrictum certumque vectigal illi exsolvere obligatum esse, Deo autem nihil. » Hucusque Victor. Secundo, ut intelligerent non repugnare Deo solutionem illam tributi, posseque simul reddi Deo, quæ sunt Dei. Tertio, ut scirent se non minus, imo potius sollicitos esse debere, quomodo reddant Deo, quæ Dei sunt, de quo tamen quæstionem non moverent. Quod nobis etiam notandum, qui fere omnes lites et quæstiones de mundo institimus, de agris, de limitibus, de censibus, de lucris, etc. vix unquam interrogamus, quid debeamus Deo: et quæ debemus corpori, sedulo persolvimus: debita vero animæ in postremis ducimus. Verum nos, auditores, incedamus alia via: et prius exsolvamur, quæ Deo et animæ debemus, postea demum ea quæ corpori et mundo; quia scriptum est: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus.*